



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 232. Contra quem competat actio depositi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

ditatis. *L. 1. §. 36. ff. h. t. Lauterb. §. 22. Muller. l. c. lit. v. ita ut, si res deposita sit individua, uni eorum petenti, si idoneam cautionem præstet de eo, quod supra suam sortem accepit, tota restitui possit. L. 14. ff. h. t. & ibi Castrenf. & Salicet. Carpz. l. 5. resp. 14. n. 10. Mantic. loc. cit. n. 2. Mull. loc. cit. lit. s. Lauterb. loc. cit. Si verò res fuerit dividua, uni hæredum petenti, etsi cautionem offerat sufficientem, restitui non debet. Arg. l. 1. §. 36. ff. & l. fin. C. h. t. Mull. l. c. cit. e. Lauterb. cit. §. 2. ubi is secus esse ait, seu totam restituendam, si major pars hæredum, cui nimirum pars major hereditatis competit, petat, & convenientem cautionem præstet, pro qua citat l. 14. ff. h. t. Mantic. cit. n. 2. Salicet. Castrenf. & alii. De cætero, quòd si ea uni eorum etiam caventi, reddita, reliqui cohæredes habent contra depositarium actionem depositi ad suas portiones petendas; uni tamen, etiam non caventi, suam portionem reddere debet. Arg. cit. §. 36. junctâ l. fin. C. h. t. AA. iidem LL. cit. cum Carpz. cit. resp. 14. & Donell. in cit. l. fin. num. 1. quam partem retinet, & nihil ex ea communicare tenetur cohæredibus, dum reliquæ partes apud depositarium pereunt, aut is ex inopia reliquos hæredes excludit. Mull. loc. cit. lit. §. juxta l. fin. C. h. t. & ibi Donell.*

Quæst. 232. Contra quem competat actio depositi?

Resp. Competit ea contra depositarium l. 16. §. 21. §. 1. §. 14. ff. h. t. quòd si apud plures quis deposuerit, & omnium fidem in solidum secutus sit, datur actio depositi contra singulos in solidum. *L. 1. §. 43. ff. h. t.* Si autem fidem singulorum in solidum non est secutus, sed communi periculo apud plures deposuit, singuli pro rata tenentur, nisi singuli dolum commiserint; tunc enim contra singulos in solidum agi potest. Lauterb. §. 26. remittens ad Salicet. & Castrenf. in cit. l. 1. §. 43. Datur quoque contra hæredes depositarii, qui si plures sint, pro portione hereditatis, in solidum verò tenentur ex dolo defuncti; etsi enim ex delictis defuncti aliàs non tenentur hæredes, nisi in quantum ad eos pervenit; aliud tamen est, ubi ex contractu vel rei perfectione descendit. *L. 7. §. 1. ff. h. t. Mull. l. c. citans Franzk. h. t. n. 103.* Quòd si hæredes ex dolo suo conveniantur, is, qui dolum admisit, in solidum tenetur si plures dolum commiserint in partes solum obstricti erunt, dum res est dividua, in solidum, dum est individua. *L. 22. §. duo. ff. h. t. uti etiam, si res divisibilis quidem, sed divisa non retinet nomen & formam. V. g. Lanx. Mull. l. c. Si verò res restitui nequit, sed agatur ad æstimationem, & singuli hæredes sint solvendo, ad partem agi potest contra singulos. Mull. ibid. citans Carol. Molina. de divid. & individ. p. 3. n. 245.* Id verò speciale est, quòd in deposito miserabili (quale est, dum ingruente v. g. incendio, tumultu, naufragio, ruina similivè casu fortuito sine præelecta voluntate ex mentis consternatione apud aliquem res deponitur; sic dictum, quòd deponens miserè affligitur, dum non habet satis temporis ad eligendum vel certum locum vel personam & ideo misericordiâ dignus. Mull. l. c. th. 42. lit. a. cum Harprecht ad §. 17. Inst. de act.) contra hæredes ex dolo defuncti datur actio depositi in simplicum, etsi intra annum agatur; ex dolo verò eorum proprio, dum depositum negant (non enim ut Muller. cit. lit. n. indifferenter agi potest in hoc casu actione in du-

R. P. Leuw. Jur. Can. Lib. III.

plum, nisi dum depositarius ejusve hæredes negant depositum tale miserabile) datur in duplum. *L. 1. §. 1. §. l. 18. ff. h. t. Franzk. ad ff. h. t. n. 105. Lauterb. §. 28. Muller. l. c. lit. §. n. ubi etiam, quòd hæc actio respectu depositi miserabilis sit mixta, partim rei persecutoria & pœnalis, eò quòd rem depositam & simul pœnam persequatur. Quòd verò non semper in hoc casu dicitur pœna dupli, inde est, quòd actor id non petat, vel quia istiusmodi homines perfidi esse solent pauperes; vel etiam quia Judex nescit. Muller. l. c. cum Brunem. Non tamen competit hæc actio depositi contra tertium, penes quem res deposita existat; quia est actio personalis, & competit tantum adversus eum, qui nobis ex hoc contractu est obligatus. Lauterb. §. 25. Sic non competit adversus eum, penes quem primus depositarius rem iterum deposuit custodiendam. *L. 16. ff. h. t.* tunc enim ait Lauterb. juxta cit. L. deponens agit cum primo depositario, ut actiones sibi competentes, intellige, contra secundum illum depositarium sibi cedat. Sic item non competit contra possessorem singularem, qui mutuo aut alio titulo res depositas recepit à depositario. *L. 8. C. h. t. Lauterb. §. 28. in fine. Muller. l. c. th. 40. lit. a.* Secus est de successore universali, utpote qui personam defuncti representat, ut Idem. Licitum tamen est deponenti ejusque hæredi res eas apud possessorem singularem existentes vindicare (intellige actione rei persecutoria) cit. l. 8. junctâ l. 8. C. ad exhibendum. Dari tamen etiam quandoque actionem depositi seu propter depositum ex *L. aquila* contra eum, qui causam dedit, quòd res depositæ ablatae sint à depositario, ait Muller. l. c. exemplificante hoc ipsum Brunemanno. Poterit etiam actione depositi conveniri fidejussor, si quis intervenerit. Muller. l. c. juxta l. 1. §. 14. ff. h. t. ubi, dum dicitur, quòd actio depositi nascatur contra fidejussorem, antequam dolum committatur, intelligendum id esse de actione depositi, quæ tendit ad restitutionem rei; cum hæc statim nascatur factò deposito, ait Muller. juxta quod declarat Bartol. & Bald. in l. si stipulatus. §. qui lancem. ff. de solution.*

Quæst. 233. Ad quæ detur actio, depositi directa?

Resp. In hæc actionem venit res deposita cum fructibus & omni causa restituenda. *L. 1. §. 24. l. 38. §. 10. ff. h. t. Carpz. l. 4. resp. 55. n. 3. Lauterb. h. t. §. 30. usura etiam seu interesse, quòd debetur ex mora, vel etiam quæ debentur ex pacto, non verò ex solo usu rei depositæ concessio. Lauterb. l. c. singula stabillens juris textibus, quem vide. In summa datur hæc actio ad omnia, ad quæ reddenda & præstanda deponenti obligatur depositarius. De quo vide dicta cit. preced. in hoc puncto de commodatario.*

Quæst. 234. Quid sit actio depositi contraria, cui & ad quid ea competat?

Resp. primò: Actio hæc, quæ interdum etiam appellari solet judicium contrarium. *L. 5. ff. h. t.* atque civilis, bonæ fidei, rei persecutoria, nunquam pœnalis nec famosa. *L. 6. §. fin. ff. de his qui not. infam.* Lauterb. in ff. h. t. §. 40. ortum ducens ex hoc contractu, non principaliter & directè, sed secundariò & minùs principaliter, ut Idem, describi potest, quòd sit actio personalis, competens adversus deponentem depositario ejusque hæredibus ad indemnitàtem nomine depositi ab eo consequendam. cit. L. 5. h. t.

R 2

2. Resp.